

**Guilbert, André-Louis - candidat /
Ducos, Jean-Jacques-Jérôme -
président. - De usu muriatis calcarei
in obstructionibus glandularum
mesentericarum**

1791.

***Paris : Typis Quillau,
Saluberrimae Facultatis
Medicinae Typographi
Cote : ms 2337a n°197bis***

DEO OPTIMO MAXIMO,

UNI ET TRINO,

VIRGINI DEI-PARÆ, ET S. LUCÆ,

Orthodoxorum Medicorum Patrono.



DISSERTATIO MEDICA.

De usu muriatis calcarei in obstructionibus glandularum mesentericarum.

QUODLIBETARIIS DISPUTATIONIBUS
manè discutienda in Scholis Medicorum, diē Jovis decimā-septimā
mensis Novembris, anno Domini M. DCC. XCI.

M^o. JOANNE - JACOBO - HIERONIMO DUCOS, Doctore
Medico, præside.


I.

QUEMADMODUM sua est cuique ætati peculiaris evacuatio (1), ita diversis morborum generibus, pro vario vitæ stadio, obnoxium genus humanum. Etsi Hippocrates, caput tanquam sedem affectionum pathologicarum in pueritiâ, thoracem in adulto, abdomen in senectute spectare non dubitaverit (2); etsi aeris ambientis status, temperatura ad morbos producendos multum conferant, & semel hâc veritate demonstratâ, divisiones ac classificationes morborum ordinarint nosologici scriptores (3); attamen illorum opinioni non ita assensum præbemus, ut omnibus vitæ periodis morbos communes non admittamus; sic,

(1) Consule dissert. à dilectissimo patre Parisiis, ana. 1764 propugnatam. An sua sit cuique ætati peculiaris evacuatio?

(2) Hippocratis opera sparsim.

(3) Sydenham, praxis medica.



4

ut exemplo rem illustremus, febribus, pleuritide, variolis, &c, omnes, omni ætate, omni tempestate, laborare possumus; tunc diversas methodos adhibeat medicus, prout varia ætas, diversus sexus, oppositum temperamentum. In hac longâ morborum serie annumerandæ sunt glandularum mesentericarum obstructions, de quibus plurima dicenda veniunt; sed antea generaliter obstructions spectare debemus.

I I.

DEBITUM circulationis motum subire debent corporis nostri liquida. Toties illi obices opponuntur, toties existit obstructio; ut ipsa nominis indicat erymologia. Actione solidorum moventur humores; obstructionum causas in illis præsertim quærere debemus; à nimis laxâ fibrâ, ab illius atoniâ, inertia, à nimia rigiditate, tensione, à nimio spasmò, minuitur actio solidorum, ac proinde retardatur humorum motus circulatorius, producuntur obstructions (4). Si vero major sit humorum copia, si tenaciorem, viscidiorumque naturam induant, si nimis arcta sit vasorum capacitas, pariter nascitur ille morbus, juxta immortalis Boerhaave mentem (5). Corporum externorum compressiones, tumores (6) & innumeræ causæ, hoc ipso quod vicinas partes nimis comprimant, vasorum capacitatem minuunt, indeque ortum ducunt obstructions. Ratione sedis differunt quoque affectiones illæ pathologicæ; & diversa nomina, prout diversas partes occupant, acceperunt. Hæc de obstructionibus generaliter spectatis nobis sufficiant; illas nunc in glandulis mesentericis considerare juvat; de descriptione anatomica silemus, quoniam anatomica cognitiones, medicinæ practicæ limina salutanti, supponantur (7).

I I I.

INTER glandulas conglobatas annumerantur glandulæ mesentericæ: nemini ullum dubium remanet, quin per illas transeat chylus. Anatomica partium structura, diversa experimenta illud comprobant (8). Sed quid experiatur chylus dum illas partes subit? Adhuc incertum; probabilius tamen nobis videtur tenuiorem, subtilioremque chylus partem per illas transire, inde que more venosarum ramificationum (9), vasa lactea secundi ordinis in majores truncos sobolescent; sic cisternam chylus, ductumque thorachicum petit humor, reparandis vitæ dispendiis à naturâ destinatus: hanc opinionem eo lubentius amplectimur, quod injectionibus anatomicis, observationibus ex anatome comparatâ desumptis, nostra confirmatur sententia. In avibus, mesenterium, glandu-

(4) Gorter, Medicinæ compendium tract. 50.

(5) Aphorismi de cognoscendis & curandis morbis, paragr. 107 & seq.

(6) Wan-Swieten, t. I.

(7) Illarum partium accuratam descriptionem tradidit Winslow, & nostris temporibus Cl. Sabatier: consule illorum opera.

(8) Francisci Baconis de Verulamio, sylva sylvarum, cent 1.^a Bartholini, anatome quartum renovata, lib. I. cap. XIV. ejusdem de venis, cap. 3. alii bene multi scriptores in hoc consentiunt.

(9) Winslow, traité du bas-ventre, art. 207.

læque mesentericæ non reperiuntur (10); si per venam mesentericam liquidum injicias, cavitatem intestinorum subit illud; liquore intestino repleto, utraq̃ue compressâ extremitate, venam mesentericam ingreditur liquor (11). Ex illis, verus glandularum mesentericarum elucescit usus; chilum elaborant, & in avibus si non reperiuntur, venæ mesentericæ ramificationes ultimæ, glandularum mesentericarum officio funguntur. Lentior chili motus in illis glandulis, celerior vero in vasis lacteis, tum primi, tum secundi ordinis: autopsia anatomica illud nos docet: arteriæ mesentericæ pulsationes, arteriæ venæque mesentericæ singularis dispositio, hunc motum chili acceleratum producant. De hac mirâ dispositione, ni fallor, siluerunt auctores (12): ramificatio arteriosa, supra ramulum venosum transit, dum ramulus iste venosus, alteram arteriosam ramificationem operit, & vice versâ; in pluribus cadaveribus illam observationem confirmavimus. Vieussens spiritum nerveum in glandulis mesentericis perfici asserere non dubitat (13). Illam opinionem confutare supervacaneum foret; nunc enim ex physicâ animali omnes rejiciuntur hypotheses: experimentis tantum modo fides adhibetur. Alii musculosam structuram in illis partibus considerantes, illarum actione, motum chili acceleratum asseruerunt: falsâ quoque hæc opinio, ut potè observationibus anatomicis opposita. Acceleratur revera motus chili in vasis lacteis primi generis, ut jam supra annotavimus; ad glandulas ubi pervenit humor ille, lentius circulationem absolvit, & incognitam, non perpenfam huc-usque actionem experitur; vasa lactea secundi generis, indèque chili receptaculum à Pecquet detectum purior adit.

I V.

Ex illis (III) evidentissimè patet, quanta mala ex obstructionibus glandularum mesentericarum exurgere debeant. Quibusnam autem causis, in illis partibus producuntur obstructiones? Generaliores jam exposuimus (II): in pueris potissimum existit status ille pathologicus; ab acidâ humorum acrimoniâ (14), à pravâ alimentorum digestionem, ab inediâ vasorum lacteorum, à chilo malè elaborato, pendere nobis videtur. In pueris, multa reperiuntur vasorum lacteorum oscula inhiantia, systema glandulare, ac systema lymphaticum prædominium habent, ac proinde chilus breviter absorbetur; sed in hac ætate, non sufficienter elaboratur chilus, illum que glandulæ mesentericæ perficere non possunt, ut secundi ordinis vasa lactea permeare queat, sic que in glandulis stagnando, illas obstruit. Acrimonia humorum vasorum parietes constringit, celeriori motu ad glandulas deferitur chilus; quum autem glandulæ non sint irritabiles, dum è contrâ vasa lactea illo motu donantur (15); indè confectarium remanet, in glandulis obstructiones generari; ex unâ parte, abundantior, in minori temporis spatio, chili quantitatem accipiunt; ex alterâ verò, humor ille vasa lactea

(10) Hist. Scient. Acad. par. ann. 1678.

(11) Ibid. Hist. ann. 1683.

(12) Auctores, ramulorum venæ arteriæque mesentericæ contextum apprimè calluerunt, sed hunc alternativum situm omiserunt. Vid. Winslow, &c.

(13) Vieussens, Neurographia.

(14) Hanc acidam acrimoniam, ut generalem morborum infantium causam, agnoscit Harris.

(15) Cruikan, des vaisseaux lymphatiques.

secundi generis non adit, ob insufficientem elaborationem. Prava digestio hunc quoque morbum gignit: nimia ventriculi debilitas, celerior illius in cibos actio, alimenta malè condita, liquorum spirituosorum abusus (16), fructus horœi immaturi, &c, sunt totidem causæ prævæ digestionis: consequenter obstructio-num. Inertia vasorum lacteorum à nimia partium ambeuntium mollitie, à solidorum in liquidorum impetum non renittentiâ, ab imminutâ irritabilitate vasorum, à nimis distentis illorum parietibus, producitur. Chilus tandem malè elaboratus inter obstructionum causas jure ac merito recensetur (17). Alimentis non prudenter electis (18), tubus intestinalis malè sua munia adimplet; bilis cum illis non miscetur, feces alvi liquidiores, mollioremque substantiam referunt; uno verbo, quartum digestionis tempus non absolvitur (19); nimis crudus, non sufficienter coctus chilus vasa lactea penetrat; ad illum elaborandum, perficiendumque non sufficit actio glandularum mesentericarum, illas que tunc obstruit. Tales sunt obstructionum causæ in glandulis mesentericis; ab aliis tamen affectionibus pendere possunt; ab imperfectâ menstruatione, ab atoniâ solidorum, post longos, periculosos que morbos, ab ictero, à leucophlegmatiâ, ab habitatione nimis humidâ, ab aspectûs solis privatione (20), illas productas vidi.

V.

A quâcumque causâ pendeat ille morbus, sequentia semper prodeunt symptomata: intumescit, indurescit abdomen; dolor in illo, præsertim in regione umbilicali & hypogastricâ perferitur; œdematosæ fiunt extremitates inferiores, digestio difficilis: albescunt feces alvi: adest etiam ventris fluxus: pallor, macies maxima videntur: albescit lingua: os amarum: nulla ciborum appetitio: pulsus durus, frequens: aliquando tussis convulsiva, symptomata tantum: extinguuntur oculi: tristitia ægrotantes occupat. Alios quoque morbos produciunt obstructiones in illis partibus; quandoque illas sequitur hidrops; tunc juxta Gorter, in lateribus potissimum aquæ fluxus perferuntur; quum perversam naturam habeat chilus, humorum massa scaturiens ex illo pervertitur, sic que difficilè reparantur dispendia vitæ, quinimò, sensim sine sensu delentur vires, & mors cito citius advenit, ni debita adhibeantur remedia. Omnia medicamentorum leniter purgantium, resolventium, suadent usum (21): sulfas sodæ (22), sulfas magnesiæ (23), murias magnesiæ (24), tartris sodæ (25), acetis potassiæ (26),

(16) Consule diss. à clar. Dorigni, Parisiis, ann. 1749, propug. an à potibus spirituosus prematura senectus.

(17) Gorter, opus cit. tract. 39, parag. 5.

(18) Lorri, Traité des alimens, t. 1. Encyclopédie méthodique, Médecine, t. 1, 2^e p. voy. Aliment, à Cl. Hallé.

(19) Haller, Elem. physiologiæ. t. 7.

(20) Consule dissert. à me hoc anno propugnatam. De influxu luminis in varia naturæ corpora, parag. 50.

(21) Boerhaave de medicamentis.

(22) Sal glauberi.

(23) Sal anglicanum, vel sal eptonienfe.

(24) Sal muriaticum magnesiæ.

(25) Sal Segnetti.

(26) Terra foliata tartari.

in hâc classe ordinantur; sed murias calcareus (27) illa superat energiâ, ac proinde illius historia paucis facienda.

V I.

MURIAS calcareus fermè semper cum muriate sodæ, in aquis maris reperitur; constat ex intimâ unione acidi muriatici cum calce. Semper cum aliis salibus combinationes ininit salinaris illa substantia, adeo ut arte fit paranda, ut integra, omnibus heterogeneis substantiis segregata obtineatur. Diu jam illud præ manibus habuerunt antiqui phyci, dum ad parandam ammoniacam (28) muriatem ammoniacalem (29) in retorta cum calce reponabant: calx majorem affinitatem habet cum acido muriatico quam ammoniaca, exurgit murias calcareus, dum ammoniaca apparatu idoneo recipitur. Sequentes proprietates habet illud sal. Crystallifatur sub formâ prismatis, quadruplici facie, pyramidis acutissimis terminati; (30) deliquescit, & dum vidimus muriatem sodæ deliquescentem, muriati calcareo, muriati magnesiæ debentur illa phenomena (31); saporem habet primo refrigerantem, acrem deinde, postea stimulantem, tandem amaram, & illi & muriati magnesiæ aquarum maris amarities debetur. Aquâ multum solubilis: si frigidum sit liquidum una & dimidia illius pars, unam muriatis calcarei partem dissolvit; si verò calida sit aqua, una pars liquidi ad unam salis partem solvendam sufficit. Actione caloris aquam crystallisationis amittit, luteum colorem paululum induit, & croceum diffundit odorem; si verò intensior sit calor, acidi pars quædam sub formâ fluidi elastici in auras avolat (32); si suprâ carbonem, aut ignescens corpus reponatur sal illud, phosphorescentem habet virtutem, ut primus vidit Homberg; hinc phosphorus Homberg à quibusdam dicitur: est murias calcareus cum excessu calcis. Barytâ illius salis solutio decomponitur, efformatur murias Baryticus, dum calx & magnesia nihil in illâ operantur; potassâ, sodâ que calx precipitatur, non ammoniacâ. Acido sulfurico acidum muriaticum ad fluiditatem elasticam transit; sicut & acido nitrico; sed dum acidi muriatici pars per acidum nitricum transit, quum acidum muriaticum majorem affinitatem habeat cum oxigenio quam acidum nitricum (33), decomponitur illius acidi nitrici portio; acidum nitro-muriaticum exurgit (34), ut liquoris color, odor apprimè demonstrant. Sulfatem potassæ ac sodæ decomponit Murias calcareus, dum ipse, carbonate potassæ ac sodæ decomponitur; tunc elicitur caloricum, sub formâ solidâ infimam vasis partem petit calx, aquam

(27) Sal ammoniacale fixum, oleum calcis.

(28) Alkali volatile.

(29) Sal ammoniacale.

(30) Percel. Fourcroy, élémens de chimie, t. 2. ntor edit. 3.

(31) Cl. Chaptal, élémens de chimie, t. 2.

(32) Si in retortâ muriatem calcaream reponas, diu intensus sit calor, & suprâ fluidum avolans immitas cartam, malvarum succo tinctam, rubrum colorem accipit carta.

(33) Tantam affinitatem cum acido muriatico habet oxigenium, ut ab illo nunquam segregatum fuerit, & omnibus corporibus illud adimat. Clar. Lavoisier, élémens de chimie, t. 1. conf. diss. à me propositam hoc anno de novâ infectionis, fortasse contagionis destruendæ methodo.

(34) Aqua regalis.

aborbendo; illud experimentum olim miraculum chemicum dixerunt physici. Si in eodem liquido solvantur nitræ ac murias calcareus, difficile à se invicem separantur, quum easdem cristallificationis leges habeant.

V I I

MURIATEM sodæ tanquam resolvens proposuerat Russel (35). De muriatis calcarei usu in medicinâ; quædam jam dixerat le Roi, Professor Montpelienfis (36). Majorem illius salis proprietatibus attentionem præstando, illum in obstructionibus glandularum mesentericarum adhibuit CL. Fourcroy (37). Ad dosim duodecim granorum in pauxillo aquæ porrectus, humorum excretionem producit in pueris; ter in die illa dosis ægrotantibus offeratur; si non sufficiat, usque ad drachmam unam, duas in adulto adhibeatur; uno verbo, in illius medicamenti administratione, sicut & aliorum, prudentiam habeat medicus; sitim, nec colicos dolores excitat dum operatur; salivâ illius sapor breviter deletur; in tumoribus limphaticis (38), in paralyfi suadendus illius usus, tum internus, tum externus; ipse met illud medicamentum in duobus pueris, obstructions in mesenterio habentibus feliciter adhibuit, sicut & in multis CEL. Fourcroy. Cavendum ne cum tartrite potassæ, aut succis ex vegetabilibus expressis præbeatur; alioquin decomponeretur (39). Sub formâ pilularum adhiberi potest, sed statim ubi parantur illæ, statim sumendæ, alioquin ad liquefactionis statum breviter transirent. In enematis si illo utatur medicus, minorem effectum producet quam si per os hauriatur, aliquam tamen actionem exercebit. Sufficiunt illa ut muriatis calcarei usum experiantur medici, & in materie medicâ, resolvens optimum adhuc deficiens, introducant.

(35) De tabe glandulari.

(36) Academi. Reg. Scient. ann. 1752.

(37) Hist. de la Soc. Roy. de Médecine, année 1782 & 1783.

(38) Percel. ac dil. Fabricius Societati Philomathicæ observationem misit, de limphaticis tumoribus in articulationibus, balneis maris, melius se habentibus, & ad sanationem vergentibus. Muriati calcareo, & muriati magnesiæ illi debentur effectus.

(39) Excepto succo nasturtii omnibus fermè vegetabilium succis decomponitur. Fourcroy, opus cit.

DOMINI DOCTORES DISPUTATURI.

THAURAUX (Joannes).

MUNIER (Maria-Zorobabel).

ADET (Petrus-Augustus)

TESSIER (Henricus-Alexander)

JEANROY (Deodatus), Bibliothecarius, ann. 1778-80.

GEOFFROI (Stephanus-Ludovicus), Physiologia & Pathologia, an. 1756-58, Professor.

THOURET (Augustinus).

DUCHANOI (Claudius-Franciscus) Artis obstetriciæ, an. 1782-84, Professor.

PAUTIER DE LA BREVILLE (Dionysius).

Proponebat Parisiis ANDREAS-LUDOVICUS GUILBERT.

Dissertationis auctor.

Ab octavâ ad meridiem.

Typis QUILLAU, Facultatis Medicinæ Parisiensis Typographi. 1791.

Bibliothèque
Santé
Médecine
Paris